

U. 9. 17



13. 26
DISPUTATIO JURIDICA
DE
ACCRESCENTE LEGATO,
QVAM
DIVINA ADSISTENTE CLEMENTIA
ET
Magnifico in Illustri ad Salam Aca-

demiâ consentiente Senatu Juridico,

SUB PRÆSIDIO
VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI,
ET EXCELLENTISSIMI

DN. GEORGII ADAMI Struven

Hæreditarii in Uhlstet / Jcti & Antecessoris famigeratissimi,
Consiliarii Saxonici, Facultatis Juridicæ Senioris, Curie
Provincialis & Scabinatus Adsefforis
gravissimi,

DN. PATRONI, PROMOTORIS ET DOCTORIS
SUI COLENDISSIMI,

*Publica eruditorum disquisitioni & censura
submittee*

Ad diem 16. Augusti 1662.

FRIDERICUS GOETTER

Camburg. Thuring.

AUTOR

H. L. Q. C.

JENÆ, Typis Johannis Jacobi Bauhöfferi.

SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCI-
PIS AC DOMINI

DN. FRIDERICI WILHELMI

Ducis Saxoniae, Juliaci, Cliviae & Montium, Comitis Provincia-
lis Thuringiae, Marchionis Misniae, Comitis Principalis Hennen-
bergiae, Comitis Marcae & Ravensburgi, Dynastae
in Ravenstein.

DOMINI MEI CLEMENTISSIMI

Consiliario Intimo,

Cancellario,

&

Redituum Provincialium Directori Eminentissimo.

VIRO

Illustri, Magnifico, Generoso & Maxime Strenuo

DN. VVOLFF: CONRADO

à Thumbsheim /

Toparchae in Pommern & Mecklenburg.

ut &

Consiliario & Thesaurario gravissimo,

VIRO

*Magnifico, Nobilissimo, & Variarum rerum Excellentissimarum
Experientia optime excolto,*

DN. JOHANNI Reichard /

Hereditario in Droschka & Glurstedt.

*Dominis Mæcenatibus, Patronis & Promotoribus suis ad aram
usque devotissimo cultu devenerandis,*

colendis,

DISCURSUM HUNC JURIDICUM

*In Benevolentiae & Patrocinii Impetrationem, Studiorum suorum suisque
Commendationem & officiosae mentis declarationem.*

offert & dedicat

humilis & subjectissimus

Cliens

FRIDERICUS Gotter Camburgensis. AUTOR.



PRÆLOQUIUM.

MUnus veri Juris Consulti. Ulpianus in *Princ. & l. 1. §. 1. de Just. & Jur. sic depingit: Jus est ars æqui & boni: cuius meritò quis nos sacerdotes appellet: Justitiam namque colimus: Et boni & æqui notitiam profitemur: æquum ab iniquo separantes: licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu pœnarum, verum etiã præmiorum, exhortatione quoq; efficere cupientes: veram, nisi fallor, Philosophiam, non simulatam affectantes. Inter alia ergò Jcti munus & officium in affectandâ Philosophia Verâ consistit. Cum enim Jurisprudentia sit habitus Practicus, & non ideò colatur atq; addiscatur, ut tantum scientiam & Theoriam nudam hujus vel illius rei quis habere possit, sed ut insimul Praxis & Usus inde redundet, non immeritò omnis Philosophia simulata, id est, quæ consistit in nudâ consideratione, futili meditatione, & argutâ præter ullum usum contemplatione, rejicitur. Niam hanc omni usu carentem subtilitatem rejiciunt etiam Imperatores Valentinianus & Valens in *l. 6. de Prof. & Med.* & Justinianus in *l. 7. Cod. de Instit. & Substit.* Quod hic Jcto in usu Jurisprudentiæ incumbit, id in hâc addiscendâ & primùm capiendâ simili modo omnes Tyrones Juris, ut observent, necesse habent. Hi enim etiam ab initio statim, ex quo Nobilissimo Juris studio operam navant, semper eò tendere debent, ne exercitia & labores suos ita vel de iis rebus præprimis instituant, quæ nullum usum & utilitatem, cum jam adultiores facti in forum descendunt, vel alio officio funguntur, afferre possunt, sed in solâ utilitate & Meditationibus consistunt. Hæc cum ego perpenderem, & nuper mihi de quâdam Juris materiâ discursum Juridicum, Pro Ingenii Viribus, quæ quidem, ut lubens promps fateor, sat tenues & exiguæ sunt, conscribere & defendere proponerem, in ejusmodi Materiam sui curiosus, quâ consideratâ, futilem me & in sola contemplatione consistentem Materiam tra-*



Stille, mihi objici non possit: Praeprimis se mihi monstravit & obtulit materia JURIS ACCRESCENDI QVOD IN LEGATO OBTINET. Est sanè hæc materia, quæ hinc inde abundum & satis opimum usum in Praxi relinquit, quamque sapissimè in forum & Controversiam deduci videmus. Neq; tamen etiam Materia hæc sine omni planè difficultate & subtilitate reperitur, sed præter abundissimum usum, quem continet, intricatissima est etiam, ut proinde facillè illam, paucis sublimioribus & subtilioribus præeuntibus, omnium aliarum Principem dixerim. Hanc itaque utroque modo celebrem disputandam jam suscepi. Antequam verò ad Propositum me accingam, ne mihi accidat, Quod Ajaci Telamontio, (qui hortanti Patri, ut in Auxilio & Invocatione DEORUM studeret vincere hostes, objecit: Se sine Diis vincere posse, & propterea gravissimè punitus est.) Ante omnia invoco DEUM TER OPTIMUM, TER MAXIMUM, supplex & devotis illum manibus adorans, ut mihi ad Propositum benedictionem & gratiam suam benignissimè largiri, & ex alto concedere velit. Hujus auxilio fretus opus meum benè celsurum, & prospera quæque futura esse, fortiter mihi persuasum habeo.





I. N. S. S. T.

CAPUT I.

De Jure accrescendi in genere.

SUMMARIA.

1. *Juris accrescendi distinctio in proprium & improprium.*
2. *Proprietate habet locum in hereditatibus ex quibusdam principis Juris.*
3. *Præceptorum horum explicatio.*
4. *Necessitas horum principiorum hoc in hereditatibus Jus efficit, ideoque illud à testatore nequit prohiberi.*
5. *Habet jus accrescendi etiam locum in querela inofficiosi testamenti.*
6. *Etiam in bonorum possessione & substitutione fidei Commissaria,*
7. *Porro etiam in mortis causa donatione, assignatione libertorum, & fidei Commissis singularibus.*
8. *Habet etiam locum in Contractibus.*
9. *Denique quoque in donatione inter vivos.*

I.



U^s accrescendi præprimis in Jure nostro sumitur dupliciter. Vel propriè, vel impropriè: Propriè sumitur pro eo Jure, quod quis in nanciscendâ vel acquirendâ portione alicujus rei habet, quæ vacat. Impropriè sumitur in princ. Inst. d. Ex her. lib. Et II. ult. Cod. d. lib. præter. vel ex hered. Ubi Jus accrescendi vocatur tale Jus, quod habebant filia teu ex filio

A

nepo

nepotes, testamento Paterno vel avi præteriti, in hæreditate, quando testamentum querela in officiosi impugnare non poterant, sed hæredibus scriptis tantum accrescebant. Jus hoc incommodum hæredi scripto afferebat, propterea, quod illi, qui totam hæreditatem habebat, de illâ jam aliquid detrahebatur. Et erat hoc Jus magis personale quam reale. Nam non res rei seu portio portioni, sed personæ personis accrescebant. Quod utrumque sanè aliter se habet in Jure accrescendi quod propriè tale est, ubi non persona, sed res accrescit, Et ubi de nullo sanè hæredis incommodo, quin potius de Omni ejus Emolumento & utilitate agitur. *ll. 33. de Usufr. ll. 53. §. fin. d. acquir. hered.* Caterum illud non est nostri Institutijam pertractare, cum neque etiam ullus ejus usus amplius reperiatur, & habeatur. Justinianus quippe id *in ll. 4. Cod. d. lib. præter. vol. exhered.* in totum sustulit. Jus verò accrescendi, quod propriè tale est, & quod etiam hodiè tam in Theoriâ quam Praxi satis se adhuc utile præbet & ostendit in præsens exponere lubet. Neque verò de eo in genere in proposito agere lubet, sed tantum Legatum accrescens sub Incudem revocabimus; Confusam tamen saltem & aliqualem illius in genere (antequam ad nostrum propositum accedamus) notitiam & explicationem in hoc Capite præmittemus.

2. Quod ergò attinet hoc Jus accrescendi in genere, propriè nimirum consideratum, habet illud locum in Variis & Multis rebus. Ut Ordine in recensendis variis materiis procedamus, incipiamus ab Hæreditatibus. Oritur illud in his ex duobus Juris principiis, Unum proponitur *in ll. unic. §. 10. Cod. d. Cad. toll. ab Imperatore Justin.* Absurdum est ejusdem Hæreditatis partem
respue-

respuere, partem agnoscere. Alterum proponitur à
Pomponio ll. 7. ff. d. Reg. Jur. Ius nostrum non permittit,
aliquem pro parte testatum, pro parte intestatum dece-
dere. Utrumque hoc principium oritur ex repræsen-
tatione hæredis seu successione hæredis in locum de-
functi, quæ fingitur propter personam defuncti totam,
totalis, Et propter ejus personam unam, uniformis. *Vin-
nius. Inst. ad §. 4. d. her. Instit. n. 4.* Ius enim naturam se-
quitur & imitatur, imò plerumque fit, ut illud, quòd
natura pro Impossibili habet, fictione Iuris etiam pro
Impossibili censeatur. Quod nobis tum *ex ll. 29. §. 7. d.*
lib. & postum. ll. 28. in fin. d. t. ll. 3. Pro socio, tum imprimis ex
§. 4. Inst. de adopt. cernere licet : ubi Imperator dicit :
Minorem, Majorem natu non posse adoptare placet.
Adoptio enim naturam imitatur, Et pro Monstro est, ut
Major sit filius, quam pater. Neque itaque Mirum, quod
etiam in hæreditate naturæ ordo servetur & spectetur.
Cum enim etiam naturà impossibile sit, ut homo Vivus
pro parte aut diversimode repræsentetur, quid ni etiam
instar aliorum, circa quæ secundum naturæ ordinem
Ius nostrum disposuit, pro Impossibili habebitur, te-
statores, qui per hæredem repræsentatione, semper Vi-
vus esse creditur & putatur, pro parte vel diversis quali-
tatibus repræsentari posse.

3. Primum Præceptum, quod vult, ut absurdum
sit, ejusdem hæreditatis partem habere, partem repu-
diare posse, obtinet in successione legitima & testa-
mentaria simul. Et siquidem hunc admittit sensum: Ab-
surdum est partem respuere, ita ut pars hæc, quæ repu-
diata est, vel omninò vacet vel ad alium diversum suc-
cessorem transeat. secundum præceptū sub se includit.
Et tunc saltem adhuc differentia hæere videtur, quod

primum præceptum eo casu representationem testatoris partialem, & diversimodam impediatur, ubi hæres, qui partem agnovit, partem vacantem repudiat & recusat. Secundum verò præceptum præter hunc casum, quem primum etiam habet, insuper contineat illum casum, ubi quidem hæres partem alteram acceptare paratus est, ob prohibitionem tamen vel institutionem testatoris impeditur. Qui casus in primo non habetur. Si verò primum præceptum saltem prohibet id, ne una pars agnoscat, altera planè vacans relinquatur, nullo habito respectu ad eum casum, ubi ad alium, diversi à se generis, successorem, illa pervenire potest; distiuncta invicem sunt hæc præcepta, & ita primum saltem exposcere & desiderare videtur representationem testatoris totalem. Posterius præceptum, quod vult: ut nemo pro parte testatus pro parte intestatus decedat, prohibet representationem partialem & diversimodam simul. Intestatus enim decedit, vel qui hæredem ex testamento habet, ab intestato nullum, vel qui unum hæredem ex testamento habet, & alterum ab intestato. Illo modo testator pro parte, hoc modo diversis qualitatibus decedit. Est verò hoc firmissimum Iuris præceptum, Quicquid etiam *Duarenus tract. de fur. accresc. lib. 1. c. 2.* Illud præter mentem legislatoris evenisse putet.

4. Cum itaque Vi horum præceptorum necessariò testator & totus & Uniformis representari debeat, Ipsa nos ratio eò deducit, ut Iuri accrescendi locum faciamus. Et quidem, quantum ad successionem ab Intestato & testamentariam, ubi vel alius diversus hæres non adest, vel partem recuset, si adsit, tertium, quo contra prædicta hæc principia non peccatur, præter Ius accrescendi non datur. In successione verò testa-

testamentariâ, ubi alius diversus hæres ab illo, qui partem agnovit, adest, & paratus est partem vacantem acceptare, tertium quidem datur, præter Ius accrescendi, quo contra hæc principia non peccatur: Nimirum si dici mus: Totum testamentum corruere debere, & totam hæreditatem tradendam esse hæredi (diverso ab illo, qui partem agnoverat) nempe hæredi ab intestato, qui paratus est hæreditatem agnoscere, ut tamen interim hic hæres, ex quasi fideicommissio partem unam scripto hæredi restituat. Coeterum hæc ita fingi possunt. Sed cum Ius accrescendi in Iure magis sit fundatum, quam hoc tertium, ideò ab illo nequaquam recedendum esse puto. Ius accrescendi ergò in hæreditate ex necessitate Iuris quâdam oritur; Quæ etiam tanta necessitas est, ut testator illam nulla omninò prohibitione impedire possit. Sicut enim testator non facere potest, ut leges in suo testamento Iuri & legibus repugnantes locum habeant. *ll. 55. de leg. 1.* Multò minus efficiet, ut leges quæ latae sunt, & ad necessitatem testamenti, seu illorum, quæ in eo continentur, spectant, locum non habeant, *Gometz. Resol. Tom. 1. c. 10. n. n. 10. Perretz. Prælect. Cod. d. Cod. toll. n. 26.* Aliam sententiam hoc modo, quæ neque Voluntati testatoris neque Iuris dispositioni repugnat fovet cum Bachovio Vinnius *ad §. 4. Inst. de hæred. Inst. n. 5.* Putant nimirum hoc modo partem vacantem debere scripto hæredi accrescere, ut interim tamen scriptus partem illam ex quasi fideicommissio restituat hæredi ab intestato si ille adsit, & acceptare partem paratus sit. Insuper, dispositio Iuris est quidem fundamentum Iuris accrescendi hujus, sed si etiam præter hanc accedit Voluntas testatoris, sanè fortius redditur illud Ius & efficacius. Hinc etiam ille,

qui & voluntate testatoris conjunctus est, non immerito illi, qui illius voluntate non conjunctus est præferatur, 142. de Verb. signif. *Carpzov. part. 3. Const. 2. defin. 15.*

5. Hæreditatibus annuero etiam querelam inofficiosi testamenti. Quæ & idem hoc modo Ius cum illis participat. Hæreditas enim per hanc ad pristinum suum statum, & quem ante factum testamentum habebat, quantum ad essentialia, revertitur. Et sanè habetur, ac si nulla exhæredatio præcesserit. At verò in illo statu pristino locus erat Iuri accrescendi, quid ni ergò etiam jam in querela inofficiosi illud locum habebit. Si ergò quidam querelam instituerint, & unus vel antequam hæreditatem devinxerit, destiterit, vel alio modo impeditus fuerit, vacans portio ejus, illi, qui hæreditatis oppugnatae partem agnovit, accrescit.

6. His porrò etiam Bonorum possessionem *ll. 2. ll. 3. §. 3. §. ult. de bon. poss. ll. 138. D. Reg. Jur. ll. unic. Cod. quando non pet. part. pet.* Et Hæreditatem fideicommissariam *ll. 114. §. II. D. leg. ll. 43. ll. 44. ad SC. Treb. ll. 83. de acquir. her.* addimus: In his ergò etiam pars sine possessore relicta ad alterum, qui alterius partis possessor est, devolvitur. Et quidem in bonorum possessione res expedita est: in substitutione fideicommissaria aliqui dubium moverunt. Et sanè cum Ius accrescendi in illa non descendat ex necessitate principiorum, quæ in hæreditate obtinent, ob eam causam præter cõjunctionem in illa Ius accrescendi cessare putamus. *Dn. Carpzov. part. 3. Const. 2. defin. 19. Perez. Prælect. Cod. d. Cad. toll. n. 10.*

7. Obtinet hoc Ius etiam, verùm dissimili ratione, quam in hæreditatibus, in mortis causa donatione. *ll. 23. de cond. & demonstr. In assignatione libertorum ll. 5. d. assign. libert. ll. 41. §. 14. d. l. fideiCommis. libert. In fidei-*
Com-

Commisfis singularibus. *ll. unica. §. ult. d. Cod. toll.* ubi Imperator dicit: In omni ultimo elogio Ius accrescendi locum habere, cum ergò fidei Commissum fit ultimum elogium nulli dubitamus, quin & in illis Ius accrescendi locum habeat.

8. Porrò Ius accrescendi locum habet in Contractibus. Ubi tamen nobis *cum Gomez. vol. 2. c. 10. n. 1. & seq.* distinguere placet inter Contractus, quando illi veniunt ex causa lucrativa & mere dividua. Veluti ex quantitate. *ll. 110. d. Verb. Oblig.* Et quando illi veniunt ex causa onerosa dividua vel individua veluti *ll. 64. de Contract. Empt. Vend.* aut ex causa onerosa vel lucrativâ merè individua: Veluti si de servitute agitur. *ll. 5. Comm. prad. tam Urban. quam Rustic.* In illis Ius accrescendi cessare, in his verò locum habere putamus.

9. Tandem Ius accrescendi obtinet in donatione inter Vivos, si nimirum illa descendat ex Imperiali liberalitate, & principali Munificentia. *ll. un. Cod. si lib. Imp. soc. sin. her.* Quas latè interpretari & plenè ampliari debemus: *l. penult. de Constit. Princ.* Si verò Imperialis Munificentia deest, ibi etiam non immeritò Ius accrescendi in eâ cessare, putamus. *Dn. Carpzov. part. 3. Const. 2. defin. 16.* Hæc de Jure accrescendi in genere dicta sunt.

CAPUT II.

De Juris accrescendi, quod in Legato obtinet, definitione, fundamento, Causa efficiente, & hujus requisitis.

SUM.

SUMMARIÆ.

1. *Definitio Juris accrescendi in Legato.*
2. *De ejus fundamento, quod ab hereditatibus in hoc differt.*
3. *Sola Voluntas testatoris hujus est fundamentum.*
4. *Conjunctio est hujus Juris causa efficiens.*
5. *Requisitum conjunctionis primum.*
6. *An in conjunctione legali locum habeat Jus accrescendi.*
7. *Conciliatio legum. 20. de leg. 2. Et ll. 1. §. 1. de usufr. accresc.*
8. *Conjunctionis secundum requisitum.*
9. *Requisitum tertium.*
10. *Requisitum quartum; Et quid in genere ab hoc removeatur.*
11. *Removeatur ab hoc illa res, que in partes est divisa.*
12. *In Quantitate ferè semper cessat Jus accrescendi.*
13. *Solidum quomodo hoc loco accipiatur.*
14. *Responsio ad ll. 34. §. 2. de leg. 1.*
15. *Quomodo partes ab initio in Conjunctione fiant.*
16. *Removeatur ab hoc requisito illa res, que partes in concursu nequit facere.*
17. *Etiã illa res, que in concursu non partes, sed solida facit.*

Diximus de Jure accrescendi in genere, nunc ad speciem nobis propositam nimirum ad accrescens legatum progressum facimus.

1. Ante omnia certa est præponenda & formanda definitio. Speculum enim & Compendium hæc est, ex quo omnia, quæ in tractatu & sequentibus traduntur, eò melius cognoscere & intelligere licet, utut de alicujus operis necessitate illa non sit. Treutlerus *Vol. 2. Disp. 13. th. 13. lit. a.* Jus accrescendi in genere definit, quod sit Modus, quo ex conjunctione vel simplici legis dispositioni Jus in re acquiritur. Sutholtio *disp. 10. th. 60.* Jus accrescendi est Jus, quo portio deficientis adjicitur reliquis qui non deficient. Eadem illud etiam ratione definitur à Busio, *Comm. ad ff. de Usufr. accr. in Princ.* Facile hinc habebimus definitionem Juris accrescendi, quod

quod in legato obtinet: Ambabus scil. addendo vo-
ces: In legato, & in priori omittendo simul vocabula:
Simplici legis dispositione, quæ verba ad Hæreditates
spectant. Verum enim verò neutra nobis harum pla-
cer definitio: Hæc ideò: Quia ibi tantum consideratur
ille casus, quo pars seu portio propter deficientiam ali-
cujus alteri accrescit, non verò etiam ille, ubi ob repu-
diationem vel alio modo illa ad Collegatarium devol-
vi potest. Illam verò ideò rejicimus, quia loco generis
in ea ponitur modus acquirendi, Cum tamen & inco-
gnitum sit Jus per Modum definiri & ipsa etiam accre-
tio Modus acquirendi sit potius, quam Jus accrescendi.
Bachovius ad Treutl. Vol. 2. disp. 13. th. 3. lit. a. Alii aliter
Jus accrescendi hoc definiunt. Nos illud definimus,
quod sit facultas habendi portionem legati, deficientis
seu non concurrentis, qui nobis in eadem re à defuncto
legata, conjunctus est. *Nobilissimus, Consultissimus & Ex-
cellentissimus Dn. Praeses, Patronus, Promotor & Doctor
meus Colendissimus in Syntagm. Jurisp. Exerc. 12. th. 26.*

2. Traditâ definitione, videamus nunc de Juris
accrescendi, quod in legatis obtinet origine & funda-
mento. Jus accrescendi quod in hæreditatibus est, ut
supra diximus, oritur ex duobus Juris Principiis & ne-
cessitatibus ex repræsentatione defuncti ab hærede de-
scendentibus, qui pro parte & diversis qualitatibus, non
esse posse fingitur. Aliud sanè obtinet in legatis, quo-
rum fundamentum neutiquam in tali necessitate & di-
spositione Juris consistit. Neque mirum: cessante enim
causâ cessat effectus, jam verò in legatis cessat causa, ob
quam in Hæreditate aliquid dispositum est, nimirum
repræsentatio defuncti ab hærede: Absurdum erg. esset
testatorem repræsentari per legatarium: & sanè quî fie-
ripot-

B

ripot-

ri potest, ut is per ejusmodi subjectum representetur, qui ex accidenti saltim supervenit, & qui facili operâ abesse potest: Quidni ergò etiam cessabit effectus, nimirum Juris dispositio.

3. Sola verò testatoris Voluntas hujus in legato Juris Origo & fundamentum est. Sicut enim totum legatum ab ejus pendet arbitrio, planè aliter fieri nequit, quam ut etiam Jus accrescendi, quod est in legato ab ejus arbitrio voluntate & dispositione dependeat, & proveniat. Præsumitur verò ejus Voluntas ex conjunctione, quando aliquos conjungit, quos disjungere faciliori opera potest. Conjectura ergò ibi est, testatorem velle, ut si concurrentiæ locus non sit, portio deficiens ad illos, qui supersunt, per accrescentiam perveniat, & devolvatur. Non nisi ergò in re legata conjunctio fuerit, Jus accrescendi procedere potest. *Dn. Carpzov. part. 3. Const. 2. def. 18.* Hinc etiam Conjunctionem Juris hujus causam efficientem esse putamus. Quæ nunc explicanda venit.

4. Antequam ad modos Conjunctionum nos conferamus, prius requisita veræ Conjunctionis exponere lubet. Requiritur ad illam verò quatuor. (1.) Ut res quæ legatur non uni, sed pluribus relinquatur. (2.) Ut Legatum fiat ex uno eodemque testamento. (3.) Ut illud per diversos hæredes non relinquatur. (4.) Ut res quæ legatur sit eadem.

5. Requiritur (1.) Ut res quæ legatur non uni solùm sed pluribus legetur. Aliàs nulla Conjectio & nullum Jus accrescendi locum habere potest. Sanè ergò Contradictoria sunt, uni aliquam rem legatam esse, ut tamen ille unus cum alio in re sibi legata sit conjunctus, & quæ fieri potest, ut illi pars alterius adjiciatur, qui tamen

men

men totum legatum jamdum habet, & qui Collégatari-
um, à quo portio illa devolvi debeat, nunquam ha-
buit.

6. Hinc etiam fit, ut in Conjunctione legali, ut vo-
cant, seu quando duo vel plures Domini, quoad ser-
vum communem conjuncti sunt, nulla conjunctio vera
& nullum Jus accrescendi locum habere censeatur. *ll.*
20. de leg. 2. ubi Celsus ait: *Et Proculo placebat, & à Patre*
sic accipi, quod servo communi legatum sit, si alter Domino-
rum omitteret alteri non accrescere. Ob eam nimirum,
quam sine dubio respexit Jctus causam, quod in uno
nulla Conjunctio locum habeat. Jam verò in Conjun-
ctione hâc legali uni tantum res legata proponitur.
Quod exinde patescit, quod Domini rem Servo lega-
tam non pro partibus & portionibus æquis, sed pro
dominiciis acquirunt, *ll. 1. §. 1. d. Usuf. accresc.* Quod tamen
si servo non, sed Dominis legata res esset, primariò, non
deberet fieri, ibi enim pro partibus æquis illi rem lega-
tam occuparent. *l. 19. §. ult. de legat. 1.* E contrariò sanè
pugnat *ll. 1. §. 1. de Usufr. accresc.* Ubi Ulpianus ex mente
Juliani respondet: *Si communi servo sit legatus Ususfru-*
ctus, & utrique acquisitus Domino, an altero omittente vel
repudiante usumfructum alter totum habeat, & putat ad
alterum pertinere &c. Videtur hæc responsio hoc niti
fundamento. Quod ususfructus legatus, in servo com-
muni, tam diù ille vivat, duret & persistat, ut hinc alter
Dominus, alterius, qui vivo testatore decedit, partem ac-
quirat non vi conjunctionis, sed quòd jam à servi perso-
na totum legatum ad illum devolvitur. Hanc explica-
tionem si admittit *ll. hac 1. §. 1. de usufr. accresc.* (ut pluri-
mi ita autumant *Duarenus tract. de Jure accresc. lib. 1. c. 13.*)
nostræ sententiæ illa equidem non contradicit. Agit

quippe hoc modo illa de Jure accrescendi, non quod ex Conjunctione oritur, de quo nobis sermo est, sed quod ex persona servi descendit. Interim tamen nondum satisfactum est, *ll. 20. de leg. 2.* Quæ sanè omne Ius accrescendi sive illud ex Conjunctione sive ex alio quodam oritur, in conjunctione legali esse negat.

7. Quidam expressam hic Antinomiam esse fatentur. Duarenus d. l. Celsum tandem Proculi & Patris sententiam referre, non verò probare putat. Aliter alii respondent. Nobis hic lubet amplecti sententiam *Goviani tract. de Jur. accr. n. 27. Perez. Praelect. Cod. de Cad. toll. n. 23.* Et aliorum, qui distinguunt inter proprietatem & usufructum, quasi in illa Ius accrescendi cesset, in usufructu verò adhuc habeat locum. Rationem diversitatis hujus ostendit *Peretz d. loc.* Ubi & simul, quod ad Ius accrescendæ hæreditatis in conjunctione legali notandum est, explicat & adducit. Manet itaque adhuc verum, quod res, quæ accrescere debet, non uni, sed duobus debeat esse relicta. Hæc de primo Conjunctionis requisito.

Requiritur (2) ad Conjunctionem, ut ex uno testamento res nobis legetur. Aliàs sanè nulla Conjunctione etiam erit. *ll. 16. quibus modis usufructus amitt. Bachovius ad Treutl. Vol. 2. disp. 13. th. 3. lit. e.* Quod non tantum obtinere censeo, si res à diversis planè, seu ex diversorum testamentis relinquatur, sed etiam si testator unus diversis scripturis veluti testamento & Codicillis confirmatis rem reliquerit. In utroque ergò Casu si rei pars vacet, illa minimè ad eandem rem possidentem, veniet, sed hæreditatem potius augebit.

9. Requirimus (3) Ad conjunctionem etiam ut res per diversos hæredes non relinquatur *ll. penult. d. usufr. accresc.*

accresc. Qui ergo ita legat: Fundi Mei, quem in Asia habeo, usumfructum Cajo, & Sejo do, lego: Sempronius Cajo, Mœvius Sejo illum præstabit, planè sine omni conjunctione & præter omne Jus accrescendi legat. Et proinde si v. g. Sejus decedit, vel suam partem repudiat, illa pars nullo modo devolvetur ad Cajum Collegatarium, sed perveniet ad hæredem Mœvium, qui partem hanc Sejo præstare à testatore obligatus erat. Neque interest, utrum fundi illius Ususfructus Cajo à Sempronio unâ oratione & deinceps Sejo à Mœvio diversâ & separatâ oratione legetur, an vero duobus Cajo & Sejo simul unâ oratione ex æquâ partibus hæredum legetur. *Nobiliss. & Consultiss. Dn. Pras. in synt. Jurispr. Exerc. 12. tb. 31.*

10. Requiritur etiam (4) Ut res, quæ legatur, sit eadem. Ait enim Imperator in §. 8. de leg. si res eadem fuerit duobus legata, ergo non nisi in eadem re Conjunctionio & Jus accrescendi locum habebit. Per rem eandem hic intelligimus rem quæ numero & individualiter eadem est. *Bachovius. d. l. Volum. 2. disp. 13. tb. 3. lit. b.* Præter illas igitur res, quæ nullo modo invicem comparari possunt, neque speciè neque genere conveniunt, rejicimus (1) Illas res, quæ ratione generis tantum convenientiam quandam habent, peculiare vero & separatim esse constituunt. Quales voco: Fundum Tusculanum & Fundum Mœvianum. Et si ergo utrique horum sit fundus, nulla tamen conjunctio inter illos, quibus hi sunt legati, esse potest, hinc & non immeritò Jus accrescendi cessat.

11. Rejicimus (2) Rem legatam, quæ quidem in se una & eadem fuit, jam verò ob diversas & divisas partes non amplius eadem esse censetur. Si ergo testator ita legaverit: Fundum Tusculanum Cajo & Mœvio do,
B 3 lego:

lego: Ita ut hic fundi partem anteriorem, illi posteriorem habeat, sanè deficiens Mœvii pars Cajo minimè accrescit, sed remanet apud hæredē, qui illam Mœvio præstare debuit. Simile etiam procedit in usufructu, si is divisis partibus legatus proponatur. In quo similiter pars deficiens ad Collegatarium non devolvitur, sed ad eum, qui proprietatem fundi habet, redit. *arg. ill. 1. §. 4. d. usufr. accresc.*

12. Quod de corpore & usufructu propter divisionem non accrescendis diximus, id multo magis necesse est dicamus de quantitate legatâ, quæ ferè semper divisionem importat, & in partes etiam absque partium expressione, separata est. Per enumerationem e. solam personarū sine expressâ divisione illa divisa esse censetur. *ll. 56. de Condit: & demonst: Sanè excipiamus casus duos ubi Juri accrescendi in illâ locus est, si nimirum de voluntate testatoris quoad jus accrescēdi certò cōstat, & ubi testator in conjungendis quibusdā usus fuerit sermone colectivo, ll. 15. §. 2. de leg. 1. (ubi dicitur: si quis unam summâ filiabus legavit, ut etiam de postumâ sentiret, si ea non est nata, superstiti solidum debebitur.) Præter hos duos Casus parum abest, ne dicamus in omni quantitate conjunctionem & jus accrescēdi cessare Peretz Prælect. Cod. d. C. toll. n. 11. Et quod hic de quantitate asseveramus, id intellectū volumus de summa etiā certa. *ll. 84. §. 12. de leg. item de iis omnibus, quæ pondere & mensurâ constant. ll. 29. de Solut.* Aliter sanè & planè diversim hæc omnia se habent in hæreditatibus, ubi ob prædicta principia Jus accrescendi procedat necesse est, etiam si hæreditas divisa fuerit*

13. Ut ergo procedat conjunctio necesse est, ut dictum, soliditas, (nam cum divisionem initialem rejiciamus, necesse est, ut soliditatem requiramus.) Solidum in Jure dupliciter accipitur (1) Quod ita est solidum, ut nec intellectu divisionem recipiat. *ll. 5. §. ult. ff. commod. (2)*

Quod.

Quod est solidū, ut quidem intellectu separari possit, extrinsecè verò & realiter nondum sit divisum, sed pro indiviso adhuc habeatur, *Nobiliss. Consultiss. & Excell. Dn. Praef. synt. jurispr. Exerc. 12. th. 27.* Et hanc posteriorem solidi significationem huic loco accommodamus. Neque enim necesse est, ut intellectualis soliditas etiam requiratur. Satis sufficit illa nobis in proposito, quæ partes reales non habet in initio, & quorum post divisionem pars quælibet constituere non incipiat totum.

14. Verum nobis hic gravissimè obstat *Ulpianus in l. 34 §. 9. de leg. 1* Ubi expressè ait: si conjunctim res legatur, constat ab initio partes fieri: Sanè si verba ita considerata sunt, prout jacent, in conjunctione etiam partes divisas & diversas locum habere, necesse est, statuamus. DD. hanc legem variè & mirum in modum detorquent. Præter id, quod quidam hic pro *partem totum* legi autumant, variè adhuc respondent. *Antonius Faber 6. conject. c. 1.* Hanc legem ad verbis conjunctos restringit. *Duarenus d. tr. c. 11.* ad verbis, & re & verbis conjunctos illam refert. *Goveanus tract. de Jur. accresc. hujus legis vim ad mixtim tantum conjunctos trahit.* *Gothofredus in not. ad l. alleg.* hanc legem ita interpretatur: *Partem facere, non quorum personam in divisione partem accipiunt, sed cum ejus qui deficit, aut incapax est, pars conjuncto accrescit.* Neutra vero Responsionum harum nobis placet. Lateque eas examinant & refutant *Bachovius ad Treutl. Vol. 3. disp. 13. thes. 3. tit. C.* *Vinnius ad §. 8. Institut. d. leg. num. 12. 13.* Nos vel cum *Pacio in Analys. ad instit. ad §. 8. de leg.* *Wissenbach. p. 2. disp. 3. th. 3.* *Treutlero disp. 13. th. 3. tit. C.* & *Petro de Grefe Jcto Noviomagensi Exerc. ff. 28. th. 3:* illam legem referamus ad legatum damnationis, quo si conjunctim res legabatur, portio vacans collegatario non accrescebat, sed, quoniam illa in hæreditate manebat,

bat, ab initio partes fiebant. Vel quod audacius facimus, referamus hunc textum ad // Juliam Papiam seu Jus Cadnejarium cum Vinnio & Bachovio d. l. ita ut illi, qui ante mortem testatoris vel ante apertas tabulas defecerint in favorem fisci partes facerent. Nam unico illo casu, quo defecerat legatarius post aperturam tabularum, locus erat olim Juri accrescendi, alias semper partes ab initio fiebant. Non obstante ergo hac lege adhuc manet verum, quod in re legata sine soliditate conjunctio esse nequeat.

15. Neque, quod adhuc obstat, aliquid negotii facit, quod partes à testatore in initio intendantur, & interdum additis (v. g. æquis partibus) assignentur. Nam illæ partes non sunt realiter divisæ, seu ut Bachovius loqui amat d. l. lit. C. sunt partes forma tantum externa verborum. [ob hanc rationem, quod etiam illas res, in quibus conjunctio esse nequit, partes pro indiviso habere patet] sanè inquam hæ partes testatoris ab initio assignatæ & factæ nullo modo soliditatem impediunt, quæ semper firma est, & nullam partium commixtionem admittit. Solidum nimirum quod in partes non est divisum hic innuimus. Non verò loquimur hic de solido, quod unusquisque legatarius solum & separatim habere dicitur. Nam sicut partes ab initio in re eadem legata non simpliciter, sed saltem ratione concurrentiæ unicuique legatario competunt, ita nec solidum hoc absolutè, sed saltem ratione vacantie unusquisque habebit. Diximus quod ad eandem rem requiramus initialem soliditatem.

16. Restat ut exposcamus etiam in illa concursualium dividuitatem: Namque ubi hæc non adest, neque adesse poterit conjunctio & Jus accrescendi. Rejicimus hinc (1) talem rem, quæ sed planè nullas aut ægrè, vel quæ saltem

saltem ex voluntate testatoris nullas facit partes. (2.)
talem rem, quæ in concursu non partes, sed solida facit.
Quantum ad primum. Res sanè, quæ nullo modo vel æ-
grè & absque omni commodo & utilitate amborum,
scindi potest, nullam Conjunctionem, ex quâ oriatur
Jus accrescendi, in se continet. Quî enim fieri potest,
ut alterius pars in re legata alteri accrescat, quæ res par-
tes non habet, nec habere, nisi ægrè, potest. Res neque
etiam, quæ ob voluntatem testatoris, partes in concur-
su facere nequit, conjunctionem parere potest. Pona-
mus ergò Titium legasse fundi Mœviani Usumfructum
Cajo & Sejo, ita ut Cajus primo anno usumfructum
illius fundi habeat, secundo Sejus, tertio iterum Cajus
& sic deinceps. Sanè ob id, quod Usumfructum unus
tantum semper possideat, nec ille ususfructus concursu
partes facere possit, nulla conjunctio in ea esse intelli-
gitur. *Perez Pralect. Cod. d. Cod. toll. n. II.*

17. Remove mus etiam rem, quæ in Concursu non
partes, sed solida facit. Hæc ergò ratione eadem res
nullo modo, quin potius res diversissimæ legatae esse
censentur. Illud olim ita contigebat in legato damna-
tionis. Nam constat, quod olim quatuor formulæ
& modi fuerint, quibus semper res fuerit legata. Pri-
mus Modus vocabatur per Vindicationem: Quando
nimirum testator ita legebat. Lego, do, tibi habeto,
sumito, vindicato. Alter Modus erat Damnationis
v. g. Hæres meus damnas esto, facito, dato, Hæredem
meum dare jubeo. Tertius Modus vocabatur sinien-
di modo, veluti: Hæres meus damnus esto, sinere hanc
vel illam rem sumere, sibi que habere. Ultimo lega-
batur h. m: Cajo mihi ex parte hæres illam rem præci-
pito aut præcipuam habeto, & hic modus vocabatur

C

per

per præceptionem. *Vinnius Inst. ad §. 2. de leg. n. 1. Antonius Faber conject. 6. n. 1.* Sicut ergò diversi horum modorum erant plurimi effectus, ita etiam Modus Damnationis in hoc ab aliis differebat, quod, si in illo tantum fuerit res legata, res illa non semel, sed bis debebatur, ita ut unus rem alter æstimationem, consequeretur. Sed planè nulla hoc modo inter illos, quibus res legata erat, conjunctio esse poterat, & propterea etiam fiebat, ut Jus accrescendi locum habere nullo modo potuerit. Hodiè non amplius legatum bis debetur, nisi de evidentissimâ testatoris Voluntate in multiplicando legato constet, *ll. unic. §. II. Cod. toll.* Ubi verò de ejus Voluntate constat & ita etiam bis præstatur, sanè adhuc omnem conjunctionem & Jus accrescendi cessare putamus. Hæc de requisitis Conjunctionum nobis sufficiat.

CAPUT III.

De Modis Conjunctionum, & Juris accrescendi Subjecto & Objecto.

SUMMARIA.

1. *Modi Conjunctionum sunt tres.*
2. *Divisio harum extrinseca & intrinseca.*
3. *De forma harum Conjunctionum.*
4. *In his tribus modis locum habet Jus accrescendi.*
5. *Quidam potius Jus non decrescendi in quibusdam his esse putaverunt.*
6. *An in Verbis conjunctis portio vacans ad alterum devolvatur*
7. *Rationes pro affirmativa.*

8. *Ra.*

8. Rationes & fundamenta pro negativa sententia, ubi & ad illa responsiones.

9. Objectum juris accrescendi.

10. Subjectum hujus juris.

COgnitis Requisitis Conjunctionum proximum nunc est, ut ad Modos ejus recrescendos nunc me accingar. Per Modos hic intelligo formulas, quibus duo vel plures in re sibi legata conjunguntur, ut Jus accrescendi habere & participare possint.

1. Sunt harum formularum seu modorum, tres *ll. 142. de Verb. signif. Zoes. Cod. d. Cad. toll. VVissenbach. p. 2. disp. 3. th. 12.* Prima est: v. g. Fundum Tusculanum Cajo & Sejo do lego. Secunda Fundum Tusculanum Cajo & Sejo æquis partibus do lego. Tertia. Fundum Tusculanum Cajo do lego, Fundum Tusculanum Sejo do lego. Prima vocatur Conjunctio mixta seu realis & verbalis simul; Secunda vocatur Conjunctio verbalis tantum, & tertia Conjunctio realis tantum. Distingvuntur hæ Conjunctiones in Conjunctivam & disjunctivam. §. *Inst. de leg.* Illa veniunt priores duæ, hæc, tertia & ultima, nimirum quæ conjunctio tantum realis vocatur.

2. Coeterum tam hæ illarum appellationes, quam etiam tradita distinctio planè extrinsecæ & externæ sunt: Naturam internam sanè nullo modo penetrantes. *VVissenbach. p. 1. disp. ad ff. 19. th. 12.* Unde etiam argumentum nullum ab his ad probandum aliquid adduci potest: sed qui ex his aliquid concludunt, sine omni sanè operatione argumentari videntur. Intrinsecè verò hi modi possunt distingui hoc modo: nempe, si dicamus. Omnes esse reales Conjunctiones, Alia tamen sit realis tantum, alia verbalis & realis simul, Hæc verò ite-

rum fit vel explicitè, vel implicitè talis, (quam vocamus Conjunctionem tantum verbalem) *Sutholt. diff. 10. Aph. 60.*

3. Antequam ad effectum harum Conjunctionum progrediamur, prius videbimus, Quid circa formam eorum observandum veniat. Forma verò ejus consistit in particulis, quæ duos vel plures in una & eadem re legata conjungit. Et si talis particula non sit addita, Jus accrescendi in illis esse negamus. *per ll. 14 2. d. Verb. signif.* Particula verò illa (1.) Est Conjunctiva, veluti &, que, etiam, cum. Et qui harum particularum unam in Conjunctione ponit, ille sanè perfectam Conjunctionem relinquit. Particula illa (2.) etiam esse potest disjunctiva: Particulis additis aut, vel, seu &. Nam teste Paulo in *ll. 53. de Verb. signif.* Sæpè ita comparatum in Jure nostro, ut disjuncta pro conjunctis, & conjuncta pro disjunctis, & soluta pro separatis usurpentur. (3.) Illa particula etiam potest esse adversativa. ut: Si testator voculis; Sed, autem, verò, in Conjunctione usurpaverit. Quicumque ergò his tribus Particularum speciebus cum alio conjunctus est, is quantum ad formam conjunctionum harum, cum alio legitimè est conjunctus. Ut verò ad superiora redeamus. Præter illos tres Conjunctionum Modos, sanè nullus amplius Modus datur, quo quis cum alio conjunctus esse possit. In his verò tribus Jus accrescendi & conjunctionem locum habere, nos nulli dubitamus. *Nobiliss. Consult. & Excellent. Dn. Præses in Exerc. 35. th. 24.* Sanè non pauci de hoc interim dubitarunt. Et quidem non tantum id in dubium vocarunt, an in omnibus his tribus conjunctionibus portio vacans ad alterum proveniat, sed etiam, an in his portio vacans titulo Juris accrescendi,
an

an verò in quibusdam Titulo Juris non decrescendi devolutatur ad conjunctos. Utrumque non sine fundamento in dubitationem adducitur.

5. Qui posteriori opinioni favent distinguunt inter Conjunctionem realem & inter mixtam & verba- lem. In illa Jus potius non decrescendi. In his ve- rò adhuc Jus accrescendi habere autumant. Funda- mentum suum desumunt ex eo, quod, in illa Conjun- ctione solidum, in his verò partes ab initio relinqui, putent. Solido enim, inquiunt, ineptè dicitur aliquid accrescere adhuc, potius verò de illo aliquid non de- crescit: Parti tamen bene aliquid accrescere potest. Verumenim verò videamus quid ad hæc respondeat. *Nobilissimus, Consultissimus & Excellentissimus D.D. Strauch* *Actus famigeratissimus, Syndicus Reipublicæ Brunopolitanæ* *Gravissimus Dn. D. Promotor & Patronus meus æviternum colendus, observandus. in Exerc. Justin. 9. th. 10. ubi hanc Controversiam ita decidit: Tota his de Verbis esse vi- detur. Sanè & nobis illa ita est componenda. Utrumq; planè in omni conjunctione certo respectu dici potest; Jus accrescendi dici potest, si consideramus casum Va- cantia in legato: Jus decrescendi, si casum deficien- tia: In illo verò non convenimus, cum aliis, quod di- stingvunt illi hoc modo inter re conjunctos & mixtim conjunctos, sub quibus etiam verbaliter conjunctos comprehendimus. Nam & hic æque ac illi solidum certo respectu habent, ab initio, & illi æquè ac hi in principio partes etiam certo respectu habere dici pos- sant. Ut proinde non opus sit, & nulla necessitas postulat, ut de nova aliqua distinctione inter illas curi- osissimus. Cæterum etiamsi hæ appellationes in o- mnibus his conjunctionibus locum habeant, malui- mus tamen appellationem Juris accrescendi jam*



retinere, propterea quod illa & communis sit, & latinitati castæ non adverfetur. Utrumque sanè fallit in appellatione Juris non decrefcendi.

6. Quod ad alterum: an nimirum in his conjunctionibus res vacans ad alterum perveniat & devolvatur? In hoc sanè fortius pugnant dissentientes. Quod quidem conjunctionem realem & mixtam, id est illam, quæ re & verbis simul talis est, respicit, sanè nulla pugna est, nam in illis Jus accrescendi esse facile omnes largiuntur. *Nobilissimus, Consultissimus & Excellentissimus Dn. Strauch, in Exerc. Justin. 10. th. 9.*

7. DE Verbis tantum conjunctis solummodò litem movent. Nos prius afferamus fundamenta, quæ pro nostrâ sententiâ affirmativa faciunt, deinde etiam de dissentientium videbimus argumentis.

Pro nostra agitur sententia pugnat (1.) *ll. 16. §. ult. de leg. 1.* Inquit ibi Pomponius: *Sed si testator Titio & postumis Viriles partes dare voluisset, vel etiam id expressisset. Totum legatum Titio debebitur, non nato postumo &c.*

Jam verò in Conjunctione verbali sunt viriles partes legata & expressæ, Ergò etiâ in Conjunctione illa totum debebitur, & propterea locum habebit Jus accrescendi.

(2.) *ll. unic. §. 11. Cod. de Cod. toll.* ubi Imperator dicit: *Quod in Conjunctis locum habeat Jus accrescendi: Conjunctos verò definit, quod sint illi, qui propter unitatem sermonis in unum corpus redacti sunt.* Jam verò verbis conjuncti propter unitatem sermonis in unum corpus redacti sunt. Et erunt ideò Conjuncti, quid nî ergò etiam secundum Imperatorem verbis conjuncti erunt participes Juris accrescendi.

(3.) *ll. 89.*

(3.) *ll. 89. de leg. 3. ubi dicitur: Si verò verbis quidam conjunctus sit, re autem non: Questionis est an Conjunctus potior sit, & magis est, ut & ipse præferatur.*

Quicumque ergò capaci Juris accrescendi quoad Jus accrescendi præferatur, ille ut & ipse Jus accrescendi sit particeps necesse est; Jam verò per allegatam legem, verbis conjunctus capaci Juris accrescendi, nimirum Re conjuncto præferatur. Ergò.

(4.) *ll. 6. & 7. princ. de Reb. dub. Ubi Macianus & Cæjus respondent. Vel ex parte te, & ex parte postumum heredem instituisset, legatumve similiter vel fideicommissum dedisset, utrum ita postumus partem faciat, si natus sit, an & si natus non sit, queritur? Ego commodius dici puto, si quidem natus non est, minimè eum partem facere, sed totum ad te pertinere.*

Jam verò in conjunctione verbali ex parte aliquis legatum habet, Ergò totum etiam uni debebitur, & propterea locum etiam habebit Jus accrescendi,

Coeterum est hæc etiam communis DD. opinio. *Donellus 7. comm. 13. Treutlerus & Bachovius ad Treutl. Vol. thes. 3. lit. C. Perez Praelect. Cod. de Cod. toll. num. 13. VVissensch. part. 1. diss. 19. th. 12. Pacius in Anal. ad Inst. ad §. 8. de legat. Duarenus tract. de Jure accresc. lib. 1. c. 10. Vinnius ad §. 8. de legat. n. 17. & 18. Busius, Comm. Pand. ll. 1. d. Usufr. accr. n. 2. Quæ communis opinio etiam si sine fundamentis nihli operari possit, ubi tamen ab utraque parte probabiles adsunt rationes, ibi non immeritò illa opinio, cui communis opinio favet, est præferenda illi, cui communi illa opinio non favet. Hanc insuper opinionem etiam in Praxi hodierna tam civili quàm Saxonica obtinere tradunt *Schneidevvin ad §. 8. de leg. Dn. Carpzov. part. 3. Const. 2. def. 14. ubi ita etiam responsum refert: Hat*
Euer*

Euer Ehwirth und Vater in seinem Testament unter andern verordnet / daß alle seine Kleider / Bücher und andere mobilien seinen fünf Söhnen ingesambt / iedoch in fünf gleiche Theil zu vertheilen ausgeset seyn und verbleiben solten: Ob nun wohl der eine Sohn / noch vor dem Vater Todes verfahren / So ist doch dessen Antheil an den Prælegirten Stücken seinen Brüdern / und also den andern Legatariis Jure Accrescendi zu gefallen / Und haben sich demnach die gesambten Erben dessen nicht anzumassen etc.

8. Pro sententia negativa affertur (1.) *ll. unic. §. 10. & 11. Cod. de Cad. toll., §. 8. Inst. d. legat.* ubi cum Imperator ex professo agat de Conjunctionum Modis, in quibus locum habeat Jus accrescendi, ne ullo tamen verbulo quidem Conjunctionis verbalis mentionem facit. Hinc concludi putant, quod nullo modo Jus accrescendi inter illos locum habere possit. Sed ut satisfaciamus huic argumento, præter illam responsionem, quod argumenta ab Exemplis ducta, imbecilliora sint, quam quæ regulam firmam impugnare possint, Respondemus quod sub Conjunctione in genere contineatur in d. textu. Conjunctionio etiam verbalis. Quod verò sub aliquo continetur, etiam si illud expressè non addatur de illo non actum esse dici non potest;

(2.) *Quod Verbis Conjunctis præ aliis Conjunctis ab initio partes habeant: ubi verò sunt partes ibi non est Jus accrescendi. ll. 1. ll. 3. pr. d. usufr. accresc.* Sed Responsio ex superioribus facile potest desumi. Sunt etenim illa non realiter & separatim consideratæ partes, sed sunt partes externa tantum forma Verborum, incertæ & pro indiviso, quas etiam in Conjunctione mixta cernere licet. Sane quoad partes initiales in his Conjunctionibus nullam planè

pianè videre est differentia. Saltem hoc interest, quod in conjunctione mixtâ partes sint & assignentur, quas ita sine expressione illarum quilibet facilè intelligit: In Conjunctione verò verbali partes quas facilè sine expressione cernere liceret, adhuc superflue exprimantur. Hæc verò expressio realiter divisas partes non facit. (3.) ll. 66. de hæred. Instit: ubi Pomponius ait: *Si ita quis hæredes instituerit, Titius hæres esto, Cajus & Mævius ex æquis partibus hæredes sunt: Quamvis & syllaba conjunctionem faciat, si quis tamen ex his decedat, non alteri soli pars accrescit, sed omnibus, pro hæreditariis portionibus, quia non tam conjunxisset, quam celerius dixisset videatur.* Hinc volunt probare, quod testator æquis partibus rem legatam relinquens, potiùs celerius dixisset quàm conjunxisset videatur. Verum respondemus, quod non negemus, aliquando ita fieri posse, ut propter celeritatem sermonis testatoris, Jus accrescendi non procedat. Sed sanè ex illo infirmè concluditur: Ergò semper, ubi testator æquis partibus legavit, videtur celerius dixisset, & non conjunxisset. *VVissenbach. Exerc. ad ff. 19 part. 1. tb. 12.* Sanè ut benè respondet Bachovius sæpè citatus. lit. C. Cum JCtus Pomponius hanc decidendi rationem reddat, quod testator non conjunxerit, sed tantùm celerius sit locutus, benè inde concluditur, quod aliquando conjunctio ita fiat, & Jus accrescendi locum habeat. Interim ergò, quoties non potest probari, testatorem celerius dixisset, toties in conjunctione verbali adhuc conjunctionem & Jus accrescendi esse firmiter statuendum. Et sanè fortior semper præsumptio pro Conjunctione pugnat.

Opp: (4.) & gravissimè l. ii. d. *Usufruct. accresc.* ubi Papinianus. *Cum singulis ab hæredibus singulis, ejusdem rei fructus legatur, fructuarii separati videntur non minus,*

D

quam

quam si æquis portionibus duobus ejusdem rei fructus legatus
fuisse, unde fit, ut inter eos Jus accrescendi non sit. *Duarenus*
lib. 1. de Jnr. accresc. c. 10. in fin. Fachinaus lib. 5. Contr.
50. Et alii quos hic d. 1, recenset, distinguunt inter U-
sumfructum & proprietatem, in illo Jus accrescendi in-
ter Conjunctos tantum verbis, cessare putant. *Bachovius*
d. 1. hanc legem explicat ita, nimirum sumit æquis parti-
bus hic pro partibus realiter divisis & separatis. Ut legis
hic sit sensus: Fructuarii separati videntur non minus,
quam si æquis portionibus in partibus planè divisis res le-
gata fuerit. In hanc explicationem inclinatur ferè *Perez C. de*
Cad. toll. n. 13. ubi hanc legem ex lege 1. d. t. explicat. Melius
illam mihi expedire videtur *Nobilissimus, Consult. & Ex-*
cellent. Dn. Pras. in Synt. Jurisp. Exerc. 12. th. 13. Cujus Ver-
ba in cap. 2. n. supra referimus.

Nunc de Subiecto Juris accrescendi, quod in legato
obtinet, agendum

9. Nam Fundamento & Causa efficiente cognitis proxi-
mū nunc est, ut videamus de rebus, quæ accrescere pos-
sunt. Res igitur omnes illæ accrescunt, quæ legari pos-
sunt: Legari verò possunt Res tam propriæ quàm alienæ:
Tam testatoris quàm hæredis. §. 4. de legat: ll. 39. §. 7. de
leg. 1. Tam separatæ quàm communes ll. 5. §. ult. d. leg.
1. tam quæ in rerum naturâ sunt, quàm quæ adhuc fieri
sperantur. §. 7. de legat: Tam corporales quàm incorpo-
rales §. 21. de legat: l. 41. in Princ. de legat. 1. Legari ve-
rò non possunt res quæ vel (1.) planè non sunt, nec esse
possunt: ll. 108. §. 10. de legat. 1. Vel quæ planè omni
commercio sunt exemptæ. Ut sunt Res communes. Aer,
littus, mare, aqua profluens: Res publicæ, flumina portus
ripa: Res universitatis, Theatra, Stadia, fora, pascua
publica. &c, Res nullius omninò, Loca Sacra, Religio-
sa,

sa, sancta; Huc referenda etiam persona libera; Vel Res
(2.) quæ secundum quid saltem & ob specialem circum-
stantiam commercio exemptæ, ut sunt Marmora, Colu-
mnæ, tigna ædificiis iuncta &c. §. 4. de legat. Huc traha-
mus etiam res, quæ saltem legatarii commercio sunt ex-
emptæ. Vel (3.) res quæ quidem in commercio sunt ob a-
liã tamen causam quo minus legari possunt impediuntur.
Veluti est res legatarii propria, nam etiamsi legatarius illã
vivo testatore alienaverit, inutile tamen est legatum. §. 10.
de legat. *Peter de Grese Exerc. Pand. 21. th. 6. In univrsum*
(nos enim Curiosi circa omnes illa res quæ legari & non
legari possunt non erimus) dicimus quæcunq; legantur, il-
læ etiam accrescunt, & quæ non legantur, illæ etiam accre-
scere non possunt. Unicã tamen hic excipimus Rem, (nul-
la enim Regulã tam firma est, quæ non exceptione qua-
dam sit obnubilata) quæ legatur non tamen accrescit.
Hæc res est, Alimentum legatum, in hoc enim nullum.
Jus accrescendi locum habere potest. l. 57. §. ult. de Usufr.
per l. 16. §. 2. de aliment. legat. Rationem hujus egre-
giam reddunt *Duarenue tr. de J. A. l. 2. c. 14. Busius ad l.*
10. ff. de Usufr. accresc. Vinnius ad §. 8. de leg. n. 19. ubi
dicit: Quemadmodum in agris limitatis cessat Jus Al-
luvionis l. 16. de acquir. rer. domin. Quod comparatur
cum Jure accrescendi l. 33. in fin. de Usufr. Ita & in U-
sufructu limitato ad finem alimentorum Jus accrescendi
cessare placuit. Subjectum Juris accrescendi similiter su-
mitur ex natura legati, quibus enim legatur, illis etiam ac-
crescit, Et: quibus legari non potest, illis etiam non ac-
crescit. In hoc ergò prolixi non erimus, cum quilibet sibi
ipsi hic satisfacere possit. Hæc de Objecto & Subjecto Juris
accrescendi breviter dicta sunt.

D 2

CA.

CAPUT IV. De Forma Juris accrescendi.

Quod in Legato obtinet.

SUMMARIA.

1. Duplex forma Consideratio.
2. Lex 89. de legat. 3. Est fundamentum, unde cognoscere possimus, quis in parte vacante alteri præferri debeat.
3. Casus ex illa lege formatus.
4. Explicatio hujus.
5. Dubitatio an Conjunctus Verbis, Re tantum Conjuncto præferatur.
6. Dissidentium Responsio ad ll. 89. de leg. 3.
7. Refutatio hujus Responsionis.
8. Respondetur ad Legem 66. de her. Instit.
9. Responsio ad legem 4. de legat. 2.
10. In eadem Coniunctione Conjuncti, quidam interdum sibi invicem præferuntur.
11. An pars vacans pro Virili, an pro parte legati ad Legatarios perveniat?
12. An pars Vacans cum onere accrescat: Distinctio quedam.
13. Distinctionis ratio.
14. In invito Legatario illa accrescat.
15. Pars partis rei legata necessario accrescit.

I.
FORMA Juris accrescendi quoad legatum potest considerari dupliciter. Vel respectu habito ad divisionem, quam Legatarii in parte Vacante Collegatarii habent, quanteus scilicet quæstio oritur: Pro quâ parte pars illa vacans accrescat, & quis in nanciscenda illa alteri præferri debeat. Vel potest forma Juris accrescendi considerari ratione aliarum qualitatum, quæ portionem
vacan-

vacantē comitantur, quā ratione quæri potest: An pars illa vacans invito Collegatario & cum onere accrescat. Quantum ad primam considerationem formæ hujus pro re gravissimâ hâc & difficillimâ expediendâ, tanquam fundamentum & mensuram; ex quâ omnia cognoscere & metiri quis possit, præpono // 89. de legat. 3.

2. Legis hujus autor est Paulus. Dicitur in illâ lege: Præfertur igitur omninò cœteris, quire & Verbis conjunctus est: Quod si re tantum conjunctus sit, constat non esse potiorem. Quod si verò verbis quidem conjunctus sit, re autem non, quæstionis est, an conjunctus potior sit, & magis est, ut & ipse præferatur.

3. Ponamus proinde tali modo legatum fuisse: Fundum Tusculanum Mœvio do lego. Fundum Tusculanum Cajo lego, Fundum Tusculanum Cornelio do lego. Quam partem Mœvio legavi, eam Mutio lego, quam partem Cornelio legavi, eam Sticho do lego æquis partibus. Fundum Tusculanum Titio vel Sempronio æquis partibus do lego, quam partem Titio legavi, eam Pamphilo lego. Fundum Tusculanum Lucio & Sejo do lego. Si omnes hi Collegatarii concurrunt, omnes partem capiunt, Et Verbis & Re, Item Re tantum conjunctus quilibet partem habebit quidem: Verbis autem tantum Conjunctorum duo partem solum accipient, & tantundem, quantum supra unus aufererat. Pacius ad §. 8. d. leg. Ut verò res de illo casu, quando unius vel alterius pars vacans relinquitur, clara fiat, omnium Legatariorum partes vacantes, quatenus Collegatariis accrescere possunt, perlustrabimus. Ex autoritate legis allegatæ dico: Partem vacantem Mœvii accrescere debere, Mutio soli, qui cum illo re
D 3 & ver-

& Verbis conjunctus est: Neque enim Cornelius & Cajo nullo modo illam simul occupabant, licet Re cum Mœvio sint conjuncti, Nam verbis & re simul conjunctus uno modo conjuncto re tantum non immeritò præfertur. d. l. Partem Caji occupabant omnes non tantum Mœvius & Cornelius, qui cum illo re conjuncti sunt, Hos enim amplius aliquid, quod reliqui Collegatarii non habent, habere minimè est credendum & censendum, At benè cœteri amplius aliquid habent quod hi non habent, ob quam causam hi etiam disjuncti vocantur. Duarenus tract. de Jur. accresc. lib. 2: cap. II. Partem Cornelii occupabit Postpositis Mœvio & Cajo solus Stichus, qui verbis cum illo conjunctus est. Nec mirum. verbis enim conjunctus utroque modo conjunctus est. Quid ni ergò præferetur illis, qui uno tantum modo conjunctus est. Sanè hoc quod jam asseveramus, non est sine omni dubio, imò contra multorum mentem ita statuissè videbimur, ut infra pluribus. Pars Mutii ad Mœvium utroque modo conjunctum perveniet, Pars Stichi ad Cornelium, verbis conjunctum. At hoc facilè omnes largiuntur, quia Stichus cum nullo alio verbaliter conjunctus est, ut supra Cornelius cum Sticho fuit. Partem Titii occupabit Pamphilus utroque modo conjunctus, non simul concurrente Sempronio, qui verbis conjunctus est, Nam arctior est conjunctio illa, quam hæc, & arctior videtur Titius conjunctus esse ex conjunctioe utrâque cum Pamphilo, quam cum Sempronio ex simplici conjunctioe, (etiamsi hæc etiam certo modo utraq; dici possit.) Partem Sempronii absque dubitatione occupabit Titius, partem Pamphili similiter Titius nanciscetur. Portio Lucii deveniet ad Sejum, & portio Seji ad Lucium. Sanè hæc facilè ab omnibus conceduntur.

§. Unum

5. Unum saltem est, quod plures movit & dubitationem induxit; an nimirum verbis conjuncti Re conjunctis præferantur? Sanè nobis, qui illud jam affirmavimus duo hic gravissimi obstant & opponuntur textus: Prior est ll. 66. de hæred. Instit. ubi dicitur: Si ita quis hæredes instituerit: Titius hæres esto: Cajus & Mœvius ex æquis partibus hæredes sunt. quamvis & syllaba conjunctionem faciat: Si quis tamen ex his decedat, non alteri soli pars accrescit, sed & omnibus cohæredibus, pro hæreditariis portionibus, quia non tam conjunxisse, quam celerius dixisse videatur. Alter Textus est ll. 41. de legat. 2. in pr. Cujus autor est Javolenus. Mœvio fundi partem dimidiam, Sejo partem dimidiam lego, eundem fundum Titio lego. Si Sejus decesserit pars ejus utrique adcrefcit, quia cum separatim & partes fundi, & totus legatus sit: necesse est, ut ea pars, quæ cessat pro portione legati cuique eorum quibus fundus separatim legatus est, accrescat. Sunt sanè hic difficiles duo textus, qui quosdam planè eò duxerunt, ut Re conjunctos cum verbis conjunctis concurrere affirmaverint. In quibus potissimi sunt Gometz Tom. 1. resol. c. 10. n. 32. Joh. Gordæus ad ll. Triplici 142. de verb. signif. Et Busius ad ll. 1. n. 7. & ll. penult. & ult. n. 5. d. usufr. accresc:

6. Dissidentibus hi præcipuè Busius Verba (legis 89. sibi obstantis,) finalia, *et magis est, ut, et ipse præferatur*, his verbis explicat: Ego existimo in ll. Re conjuncti neutrum definiri, puta nec re conjunctos præferri conjunctis verbis tantum, nec hos illis, sed simplicius conjunctum re & Verbis præferri utrique, subjunctam verò clausulam definitionis, (*hanc magis est, ut et ipse præferatur*) tantum expedire id, quòd ab initio dictum erat,

erat, nimirum præferri illum, qui utrinque conjunctus est, conjuncto alterutro modo tantum.

7. Sed benè mihi ad hæc respondere videtur Fachinæus lib. 4. contr. 98. Quod tres in dictâ lege proponantur quæstiones: Una: an utroque modo conjunctus aliis præferatur? Quam Paulus affirmando statim decidit; Secunda: An Re conjuncti præferantur verbis tantum conjunctis? quam Paulus ibi negat. Subsequitur Tertia, An conjuncti verbis tantum præferantur re tantum conjunctis? quam sine omni dubio etiam verbis posterioribus (*Et magis est, ut Et ipse præferatur*) affirmando decidit. Nequaquam verò hæc verba ad utroque modo conjunctos trahi possunt, cum de illis in verbis prioribus sit definitum, & jam non amplius decisio aliqua necessaria sit. At cum hic verbis conjuncti sint subjectum Quæstionis, necessario etiam erunt subjectum Responsionis. Bachovius ad Treutl. vol. 2. disp. 13. th. 3. lit. h.

8. Interim tamen est satisfaciendum legibus allegatis obstantibus Ad ll. quidem 66. de hæred. instit. Respondetur: Quòd saltim ex eâ id evincatur, Ergò Re conjuncti præferuntur, quibusdam qui habent partes æquales, jam verò etiam hoc lubentes nos asserimus, Sunt nimirum ibi partes æquales sine conjunctione, saltem propter celeritatem ita factæ, nequaquam tamen ex hoc concluditur, & elicitur, Ergò Re conjuncti verbis conjunctis præferuntur, etiam si hi partes habeant æquales. Nam non semper, ubi hæ sunt, ibi conjunctio verbalis esse potest.

Ad ll. 41. de legat. 2. Respondent Duarenus d. trib. 1. c. 13. & Fachinæus d. l. Javolenum proponere conjunctionem hic, quæ verè verbalis non sit, sed quæ
tan-

tantum similis huic sit. Hinc quoniam in tali conjunctione de voluntate testatoris in præferendo quodam, alteri certo nõ constet & præsumi possit, non immerito Jurum fecisse putant, si omnes hos Legatarios in concurrẽtia exæquaverit. Ab hãc etiam sententiã non abhorret Bachovius *d. l.* ubi illi placet hoc modo quoq; distingvere, quando verbis conjuncti cum duobus re conjunctis concurrant, & quando cum uno tantum: egregiam *d. l.* reddit rationem hujus distinctionis. Cœterum hæc de concurrentiã, Legatariorum diversim conjunctorum, quatenus unus alteri præferri debeat.

10. Solet verò etiam interdum fieri, ut ex eadem conjunctione conjuncti, non omnes concurrant, sed alter alteri præferatur, & unus vel duo tantum partem vacantem obtineant. Veluti in hoc exemplo: Cajo fundum Tusculanum, & Mœvii liberos do lego: decedente hic uno ex liberis, portio, quæ vacans redditur, non simul perveniet ad Cajum, sed ad liberos solos superstites devolvetur. *Peretz Praelect. Cod. d. Cad. toll. num. 20.* Hic tamen distingvendum est, nisi testator omnes ex æquo in parte vacante concurrere voluerit, & nisi ordo vel caritatis vel necessitatis aliud svadeat. *Gometz Tom. 1. resol. c. 10. n. 31.*

11. Circa concurrentiam Legatariorum hic etiam nobis illa se offert quæstio: An pars vocans pro parte Virili an Legati ad aliquem pervenire debeat? Si Legatum hic secundum hæreditatum naturam metimur, pro parte Legati accrescere partem vacantem necesse est, ut dicamus: *ll. 59. §. 1. de her. Inst.* Sed sanè aliud dicere nobis svadet Imperator in *ll. unic. §. 12. de Cad. toll.* Ubi pro virili nobis illam obtinere tantum disposuit. Dissentit hic Pacius in *Analys. ad Inst. ad §. 8. de leg. Peretz. d. l. num. 17.*

12. Nunc ad considerationem alteram formæ Juris accrescendi, quod in legato obtinet, progredimur, quæ

E

conli-

consistit in quaestione: An pars vacans cum onere & invito legatario accrescat? Quantum ad primum hujus quaestio- nis membrum: Distingvimus inter re conjunctos & inter utroq; modo vel verbis tantum conjunctos, illis sine onere, his cum onere accrescere putamus per *ll. 63. de Cond. & demonst. ll. unic. §. unic. §. 11. d. Cad. toll.* ubi dicitur: Sin autem ad deficientis personam hoc onus fuerit collatum: Hoc non sentiat is, qui non alienum, sed suum tantum legatum imminatum habet. Sed & varietatis non in occulto sit ratio: Cum ideo videatur testator disjunctim hoc reliquisse, ut unusquisque suum onus, non alterum agnoscat, nam si contrarium volebat, nulla erat difficultas, conjunctim ea disponere. *Goveanus d. tract. de Jur. accresc. n. 17.*

13. Rationem hujus plenius etiam exhibent *Gomez Tom. 1. Ros. c. 10. n. 43. Vinnius ad §. 8. de legat. n. 4. Peretz. Pral. Cod. de Cad. Toll. n. 16. Bachovius ad Treutl. Vol. 2. disp. 13. th. 3. lit. g.* Hoc modo, quod solidum in conjunctione reali expressius, quam in aliis conjunctionibus relinquatur: at verò ubi aliquis ab alio nihil accipit, sed suum tantum retinet, sanè etiam iniquum erit, ut is hujus onus & damnum ferat. Hoc sanè variat in conjunctione mixta & verbali, quando partes in principio expressæ sunt, ubi pro iniquo non habetur, ut his modis conjuncti, cum partes ab alio accipere videantur, etiam onus ratione illarum partium ferant. *argum. ll. 176. de Regul. Jur.* Hoc regulariter quidem procedit: Exceptiones tamen quaedam adsunt, ubi, ne quidem utroque modo conjunctis pars vacans cum onere semper accrescit: Exceptio una est, si pars illius, qui tēpore condidi testamenti legatum sibi partem incapax erat accipere, ad Legatarium devolvitur. Hæc enim (utpote quæ nullas radices in subjecto & fundamentum habuit) sine onere accrescit. *ll. unic. d. §. 1. de Cad. tollend.* Exceptio altera est, si Legatarius onus & conditiones parti vacanti adjunctas implere & per-

perficere non potest, hoc enim modo quicquid accrescit, etiam sine onere accrescit. *d. l. §. 9.*

14. Quantum ad alterum quæstionis membrum, an invito Legatario pars vacans accrescat; Similiter distinguimus inter re conjunctos & inter utroque modo vel verbis conjunctos; Illis invitis, his non nisi volentibus accrescere defendamus; Per *ll. d. unic. §. 11. d. Cad. tollend. Nobilissimus Consult. & Excellent. Dn. Præses in syntagm. Jurispr. Exerc. 35. tb. 24.* Conveniunt re conjuncti in hoc cum hæredibus, quibus & ipsis hæreditatis pars vacans cum onere accrescit; Exceptiones quasdam hujus tradit *Duarenus d. tr. lib. 2. cap. 1.*

15. Sanè quòd jam hîc distinguimus inter certis modis conjunctos, ei non obstat *ll. 4. de leg. 1. ll. 1. ll. 2. de acquir. hered.* In quibus locis expressè dicitur, rem legatam semper invitis accrescere. Agunt quippe illæ leges tantum de parte partis legatæ accrescente, (nam iniquum est, ut aliquis portionem tantum portionis suæ habere velit) non verò de portione vacante alterius legatarii, ad alterum Collegatarium deveniente.

CAPVT V.

De Casibus, quibus Legatarius

partem vacantem collegatarii acquirit, & actione, quâ denegatam petere potest.

SUMMARIA.

1. Duobus Casibus Juri accrescendi locus est.
2. Jus vetus Circa hoc. Et de Lege Julia Papiæ
3. Lege Julia Papiæ pars legati vacans plerumq; in ærarium & fiscum perveniebat.
4. Amplior hodie Juri accrescendi est usus.
5. Fisco hodie nullus ferè locus est.
6. Amissa interdum pars etiam accrescit.

E 2

Ratio

7. Ratio hujus tradita à Duarenno ex. de Jur. accresc. lib. 1. cap. 21.
 8. De actionibus, quas Legatarius pro obtinendâ illa parte habet.
 9. De hypothecaria actione.
 10. Quid ulterius circa has actiones notandum?
 11. In quo foro pars vacans per actiones petatur.
 12. Effectus harum actionum.

I.

COgnovimus Juris accrescendi, quod in legato obrinet, definitionem, fundamentum, causam efficientem, subjectum, objectum, formam, restat ut etiam aliquid proferamus de casibus, quibus pars vacans ad collegatarium devolvitur. Casus tales ponimus duos, Legatarii incapacitatem & ejus noluntatem. Incapacitatem duplici modo hic accipimus; vel enim tribuimus illam Legatario, in cujus persona legatum nunquam constitit, vel in cujus persona quidem constitit, non tamen usque ad illud tempus ex quo dies legati ceditit, & ex quo legatum capi potest, duravit. Accidit hæc incapacitas variis & multis rebus, non tantum morte naturali, sed etiam civili, veluti deportatione, libertatis privatione, in metallum damnatione, & his similibus. Circa hos duos casus occurrant noranda tempora certa, quibus, casibus his duobus locus demum relinquatur.

2. Antequam ad hæc ulterius nos conferamus, prius lubet Jus Vetus, quod circa Jus accrescendi, quoad hos casus & tempora constitutum erat, declinare. In usu olim erat Lex quædam, quod lata erat Anno Urbis Romæ conditæ 735. Vocabatur hæc (à Julio Casare, ob bellum cujus præcipuè ferebatur) Lex Julia: Confirmabatur postea eadem sub sub Augusto, Consulibus. M. Papio Mutilo, & Q. Poppæo secundo, à Populo Romano, penes quem adhuc, etiam omni in Augustum Imperio translato, Veteris libertatis & ita etiam Juris condendi potestatis Vestigia quædam & simulacra remanserant: Vocabatur ab hinc lex hæc non amplius Julia, sed Julia Papia seu Poppæa. Plurima hu-

ma hujus legis erant capita & contenta: Sic in illa lege constitutum erat, ut omnes cives majores viginti annis uxores ducerent, vel sponfas haberent: ut parentes filiis suis uxores vel filiabus maritos à magistratu compellerentur: Ut coelibes & orbi ex testamento nihil caperent: ut fasces consulares non illi sumerent, qui plures annos, sed qui plures liberos haberent: Ut decima pars omnium illorum, quæ conjux conjugum sine liberis reliquisset ad fiscum & Aëarium perveniret: ut extraneus hæres partem vigesimam hæreditatis fisco deferret. Plurima hujus legis erant capita, quorum quædam in Ulpiani fragmentis extant. Qui ulteriorem de hæc lege notitiam postulat, illa adeat Goedæum ad *ll. 128. de verb. & Res. sign.*

3. Inter alia continebat hæc lex tale caput, ut, si cui esset relictum aliquid, nec caperetur ab illo, cui relictum esset, tunc illud ad fiscum devolveretur. In hoc quatuor tamen attendenda erant tempora, quibus illud relictum ad casum vacantiam deduci poterat. Primum tempus erat conditi testamenti: In quo tempore vacans relictum pro non scripto habebatur, & si conjunctus non aderat vel substitutus, in hæreditate remanebat. Secundum tempus erat post conditum testamentum, ante mortem testatoris: quicquid hic ad casum vacantiam deducebatur, vocabatur in causa Caduci, & fisco adveniebat. Tertium tempus erat post mortem testatoris ante apertas tabulas: si relictum hoc tempore vacabat, vocabatur caducum, & fisco similiter adveniebat. Quartum tempus erat post aperturam Tabularum: in quo relictum, si propter incapacitatem vacaret, ad hæredes transmittabatur. Hæc propterea tractamus, ut innotescere possit, quibus casibus & temporibus olim Juri accrescendi locus fuerit. Abrogavit vero hæc Justinianus in Tit. Cod. d. caducis tollendis, noluitque, ut Aëarium pace confectum & profligatis hostibus amplius aliorum facultatibus & bonis impleretur.



4. Quamò itaque olim rarior, tantò opimior hodiè
usus est datus Juri accrescendi à Justiniano dictâ consti-
tutione, tam in hereditatibus, quam in legatis. Ut dicam
jam de legatis; Constituit ille, ut primo & secundò tempo-
re, omne quod vacet, ad Collegatarium devolvatur: In po-
sterioribus verò duobus temporibus (quæ nunc postquam
constitutum, ut dies legati non amplius ab aperturâ tabu-
larum, sed statim à morte testatoris cedat, in unum tempus
reducta sunt) statim pars vacans, (si nimirum per incapaci-
tatem vacans sit, secus si per repudiationem,) ad hæres
transmittatur. Exceptiones hujus tradit Perez. *Prælect.*
Cod. d. Cad. toll. num. 5.

5. Fisco verò seu Ærario hodiè nullus amplius lo-
cus est relictus. Unum excipiamus casum, si legatum indi-
gnis aufertur, ubi illi adhuc usus est, *ll. unic. §. 9. Cod. de Cad.*
toll. Duarenus lib. 1. n. 18. d. tract. de Jur. accresc.

6. Præter hæc quatuor tempora Jus accrescendi re-
gulariter non procedit, irregulariter tamen quandoque et-
iam quintum datur tempus. Nimirum: quod est post agni-
tionem rei legatae. Obtinet verò quintum hoc tempus tan-
tū in legato usufructu, quæ accrescit. *Nobilissimus Consult. &*
Excell. Dn. Pras. in Exerc. 12. th. 29. Si igitur in hoc, duobus
vel pluribus fuit legatus usufructus, omnes etiam capiant
partes, post concursum tamen pars Legatarii amissa ad
Collegatarios (sive illi adhuc habeant suam partem sive
non, *ll. 10. de usufr. accresc. ll. 33. §. 1. de usufr.* Quod & ipsum ir-
regulari est) pertinet. *ll. 1. §. 3. vers. sed in usufructu; de usu-*
fructu accresc.

7. Rationem diversitatis ostendit Duarenus *d. tr.*
lib. 1. cap. 21. ubi & simul ostendit, non tantum in usufructu
legato hoc obtinere, ut pars amissa accrescat, sed in aliis et-
iam rebus præter legatum: veluti in donatione factâ à Mu-
liere secundo nubente, filiis ex priori matrimonio susce-
ptis

ptis, *ll. 4. Cod. ad Senat. Tertul.* in donatione à Principe factâ
ll. Cod. si lib. Imper. soc. in assignatione libertorum. *ll. 5. de as-*
signa: libert. in restitutione in integrum, *ll. 4. de re iudicata.*
In querela inofficiosi testamenti, & similibus.

8. Restat, ut de actionibus, quas pro obtinenda parte
vacante Legatarius habet, adhuc agamus. Competunt ve-
rò illi eadem actiones, pro hâe parte consequendâ, quæ illi
pro illa parte, quam agnovit, competiére. Nimirum actio
personalis: Rei vindicatio; & actio hypothecaria. *§. 2. de le-*
gat. actionem personalem, ex quasi contractu habet. Hæres
enim ad eundo hæreditatem sese obligat quasi, ut testatoris
voluntatem explere, & legata præstare velit. *Perez. Pralect.*
Cod. commun. de leg. & fideicom. n. 5. Zoesius, d. l. n. 6. Compe-
tit hæc actio tantum contra hæredem ipsum, non contra
alium tertium rei legatæ possessorem. Rei vindicatio, da-
tur in rem ipsam, & partem legatarii vacantem: intenditur ve-
rò tantum contra corpus legatum, non verò genus aut
quantitatem: datur insuper tantum in rem testatoris pro-
prium legatam, non alienam: rationem hujus exhibet Vin-
nius ad *§. 2. de leg. num. 5.*

9. Hypothecariam actionem, quæ tantum fit in rem
testatoris alienam, introduxit Justinianus *ll. 1. Comm. de le-*
gat. & fideicom.: Hypothecariam nimirum actionem taci-
tam generalem. Jure enim Digestorum hypotheca speci-
alis Prætoriam etiam in usu erat. *ll. 4. §. 1. de separat. Bachovius*
ad Trentl. Vol. 2. disp. 13. th. 7. tit. E.

10. Hæ actiones ante aditam hæreditatem vel agni-
tam institui nequeunt. *ll. 9. de test. tut. ll. 14. Cod. de fideicom.*
Hæreditas enim caput & fundamentum totius testamenti
est. *§. 34. de legat.* Et si hæc non est certa, & cœtera omnia
quæ in testamento scripta sunt, incerta sunt. Quoad actiones
has instituendas distinguunt DD. Inter concursum E-
lectivum & cumulativum: Actionem personalem cum
hypo-

hypothecaria concurrere posse, putant: Rei vindicationem vero neutiquam. Bachovius *d. l. lit. f.* tamen etiam hanc cum hypothecaria concurrere posse statuit & defendit. Ubi & simul, quid ulterius de his actionibus, eruditè disputari potest, adducit.

II. Possunt hæ actiones institui, (si quidem res seu corpus in specie est, quod intenditur) in generali foro domicilii, in foro rei sitæ, & loco ubi hæreditas habetur. Si est res in genere vel quantitas, agitur de illa in foro domicilii similiter & loco ubi hæreditas vel hæreditatis maxima pars habetur. *Gometz. Resol. Tom. 1. cap. 12. n. 84.*

12. Consequitur Legatarius his actionibus, ut hæres illi legatum & ita etiam partem vacantem tradat, non tantum rem, sed omne etiam id, quod accrevit, & rei legatae emolumento esse cœpit. *ll. 39. de usur. ll. 44. §. 4. de legat. 1.* Tradere etiam illi tenetur ita, ut omnem culpam, etiam levissimam præstet: Casus fortuitos tamen præstare non tenetur. *ll. 26. §. 1. ll. 47. §. 4. d. legat. 1.* exceptionem tradit. *Nobilissimus & Consult. Dn. Pras. in syntagm. Jurispr. Exerc. 35. th. 21.*

Hæc de actionibus pro consequendâ parte vacante Legatarii Collegatario accrescente, dicta sunt. His ipsis etiam pedem figo & gratias ago DEO TER OPTIMO TER MAXIMO: Quod sua assistentiâ & auxilio mihi non deesse, sed meum propositum ad felicem finem perducere voluerit.

ERRATA SIC CORRIGANTUR,

CAP. II. num. 2. lin. 12. Pro, Ergo, enim. n. 5. lin. 3. pro ergo, enim. n. 6. lin. 26. pro devolvitur, devolvatur n. 8. l. 3. pro II. ll. n. 10 l. 12. pro utrique uterque. n. 11. l. 5. pro illi ille. n. 12. l. 5. pro ergo, enim n. 12. l. 14. pro, ne, ut. n. 14. l. 21. pro Grese, Greve n. 14 l. 27. pro Cadnejarium, Caduciarium. n. 16. l. 4. pro sed, vel. n. 18 lin. 20. pro, in ea, inter hos. CAP. III. n. 3. l. 3. pro eorū, earū. n. 5. l. 13 pro D Doctor. l. 23 pro hic, hi. n. 7 l. 48. pro illi, alteri. n. 8. l. 21 pro nullam, nullam. n. 8. lin. 56. pro Jnr. Jur. n. 9. lin. 25. pro Peter. Petrus. CAP. IV. summ. 14 pro in, an. n. 1. lin. 4. pro quantenus, quatenus. n. 5. l. 1. pro dubitationem induxit, in dubitationem duxit. n. 5. lin. 22 pro Gordenus, Gæddenus.

COROLLARIA.

I.

Substitutus est datus filiofamilias, si heres non erit, repudiante filiofamilias hereditatem, *Qr.* An illa ad Patrem, an vero ad Substitutum perveniat, pugnabo ego pro substituto.

II.

Filiusfamilias & servus sunt heredes testatoris necessarii, abstinentiam tamen illi concedit Prator. *Quid* si dicamus: Non solum iure pratorio, sed etiam civili ambobus abstinenti facultatem interdum permitti.

III.

Ex stipulatione in diem actio cum effectu intentari & institeri nequit ante diem, oriri tamen eam cum ipsa obligatione defendamus.

IV.

Periculum rei vendite statim ad emptorem pertinet, etiam ante traditionem.

V.

Personae incertae olim legari non poterat, hodie potest.

VI.

Emptio venditio tam diu, quam de precio non constat, non censetur esse perfecta. Sed quid, si res interim fuerit tradita? defendamus ex contractu innominato, nihilominus pretium peti posse.

VII.

Dominium sine possessione traditum a jure Gentium non acquiritur.

VIII.

Per substitutionem non tollitur jus suicitatis.

IX.

Non omnis stipulatio facti alieni est inutilis.

X.

Pater in testamento filii de bonis castrensibus post missionem non potest esse testis.

XI.

Q. An portio hereditatis, quae post venditam hereditatem vi juris accrescendi obvenit, ad emptorem transeat? non transire defendam.

F

XII.

XII.

In unum casum specialiter substitutus, in alterum etiam substitutus esse videtur.

XIII.

Venditor precisè tenetur rem tradere, nec liberatur prestando interesse.

XIV.

Pater pecuniam, quam filius familiàs creditori contra Senatus Consultum Macedonianum solvit, potest vindicare & condicere.

XV.

Formula bey Adelichen Gräfflichen Fürstlichen Ehren sunt tantum assertiones, quibus aliquis se fortius politicè obstringit, pro juramentis tamen non sunt habenda.

DOctè ad crescendi tractas subtilia jura,
Ad crescant laudes & bona multa, precor.

*Eximio Domino Gottero, erudite Dissertationis
autori hoc autoschediasmate
gratulatur*

GEORGIUS ADAMUS Struve //
Prof. Publ.

LEgumlatricem Divam quod deperis, isthic
Egregius labor ostendit. Moderatiùs astu
Uriminor! Tantis subjungas Ignibus Ignem?
Impete laudando urge, & mox sic nobile prensa
Munus, quod meritò tibi, me sponfore, paratur.

Per- Eximio Domino Antoni amicè gratulatur.

JOHANN VOLK Bechmann / D. Pandect. Pr. P.
& h. t. Colleg. Juridici DECANUS.

Ad

*Pre- Eximium DN. GOTTERUM, erudite dissertationis Antorem
amicum meum pl. dilectum.*

Magno substruio dum doctæ anabathra cathedra:
Scandis & egregiâ dissuis arte plicas,

Grator

Grator. Decernent, si perges, pramia tandem
Et Patria Proceres & Themis alma Tibi

CHRISTIANUS CAROLUS Schalling/ D. Cur.
Prov. Saxon. Jenens. Advocat.

Præ Eximio atque Eruditè Docto

DN. FRIDERICO Gotter / V. J. Cultori indefesso
Disputationis hujus

AUTORI ET ASSERTORI strenuo,
DOMINO ContVbernaLL sVO

CUI jure adcreseat legatum, dulcis amice,
Audes arguto dicere iudicio.

Hoc tibi cur placuit? speras accrescere forsan
Sic quoque (ni fallor) nomina magna Tibi.

Falleris haud! Animus quia non præfagia falsa
Dicit, si pergis, perge favente Deo.

Ipsa Themis faveat, calum quoque rideat illo
Tempore, quo crescant talia Amice Tibi.

GratV LabVnDo anImo seClit

Henricus Gothofredus Bundelfinger /
Nördlingensis.

Quisquis amat vernum superis gratæ decus artis,
Et mentem magnis adponere gressibus ardet,

Is meritò dignus, cui labentis fuga seclii

Circumscripta morâ properantes differat annos.

Ut quoque Tu volites Doctorum docta per ora,

Nec non sideriis radiet tua fama pyropis,

Quæ teneant LEGATA doces, TE VINDICE, jura,

Auribus & doctis monstras, quàm jura fatiges,

Cordeque felici quatiâs quàm lemmata nostri

Corporis, ut puteal Themidos mox vertice lambas.

Omne res plena est, hic quod Te pervigil ardor

Tandem verticibus magni conjunget Olympi;

Vige tuos gressus, teneras quæis ferris in auras,

Ibone quo captum est pede, tanto Præsîde crescant

Adg

Acta, cui totam sese Dice pignorat aqua,
Gratulor ingeminans: circumdent decuma frontem
Præmia, quæque paras artis, mox momine magno
Accelerent insigne decus Tibi, facta, Tuisque.

fecit

Amico & Consalino suo optimo & charissimo

Johannes Jacob Fuhrmann / Silesius.

Sonnet.

W Er der Tugend Feuertrieb / eifrig hat oblegen
Zielet nach der Sternen-Bahn / legt der Laster Wust zu
rütt / [schiff]
Steht der Sinnen Munturkeit / und der Musen Kunst. Ge-
läßt sich keinen Unglücks- Sturm / noch vergasten Neid bewegen /
Daß Er täglich sich bemüht / Weisheits Gaben einzuprägen /
Und daß sein erhitzter Geist von des Pöbels Laster-Stück
Durch ein reich besetztes Thun die Unsterblichkeit erblickt /
Wie ein schwanker Fichten-Baum / wann die Wurzeln Saft erregen /
Nimt den Lauff zum Wolken-Feld; Also auch ein Götter-Sohn
Suchet seinen Aufenthalt bei des Höbels höchem Thron.
Bruder / was dein Tugend-Hertz irachtet vor ein Lob zu haben /
Zeiget klährlich diß dein Werk. Nun dein unermunter Fleis
Wird schon einst verdienten Lohn / un der Famen Ehren Preis /
Auch bei später folger Zeit Ruhm der Ewigkeit erjagen.

Welches wünschet seinem geliebten Bruder

Johann Gottfried Gotter / von
Ramburgk.

Fortiter adversæ partis dum spiela retorques,
Immunem à telis teque dedisse paras,
Gratulor: hæcce teras porrò vestigia laudum,
Et tibi mox sedes grandis honoris erit.

*Tua de egregio specimine applaudebat Præstantissimo atque
Politissimo suo GOTTERO Patruei perdi-
lecto, honorando*

Christianus Timotheus Gotter / Phil. Stud.

☉:(o):☉

99 A 6924


ULB Halle 3
002 636 603



52

V 17







26

DISPUTATIO JURIDICA
DE
A C C R E
SCENTE LEGATO,
QVAM
DIVINA ADSISTENTE CLEMENTIA
ET
Magnifico in Illustri ad Salam Aca-
demiâ consentiente Senatu Juridico,
SUB PRÆSIDIO
VIRI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI,
ET EXCELLENTISSIMI
DN. GEORGII ADAMI Struven
Hæreditarii in Uhlstet / Jcti & Antecessoris famigeratissimi,
Consiliarii Saxonici, Facultatis Juridicæ Senioris, Curie
Provincialis & Scabinatus Adfessoris
gravissimi,
DN. PATRONI, PROMOTORIS ET DOCTORIS
SUI COLENDISSIMI,
*Publica eruditorum disquisitioni & censura
submittee*
Ad diem 16. Augusti 1662.
FRIDERICUS GÖTZEN
Camburg. Thuring.
AUTOR
H. L. Q. C.

JENÆ, Typis Johannis Jacobi Bauhöfferi.

